

d. Dodatki do Liturgii Godzin - Additiones ad Liturgiam Horarum

W czasopiśmie „Notitiae” 38 (2002) s. 321-348 opublikowano teksty do Liturgii Godzin na wspomnienia wprowadzone do kalendarza liturgicznego w związku z ogłoszeniem trzeciego wydania *Missale Romanum*. Drukujemy tu w j. łacińskim dekret Kongregacji ds. Kultu Bożego i Dyscypliny Sakramentów z dnia 18 grudnia 2001 r. i wspomniane teksty liturgiczne.

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

ADDITIONES AD LIBROS LITURGICOS CIRCA CELEBRATIONES IN CALENDARIUM GENERALE NUPER INSERTAS

Prot. N. 2492/01 /L

DECRETUM

Occasione data recognitionis nuperrime ad finem ductae sive Missalis Romani sive Martyrologii Romani, Apostolicae Sedi visum est aliquas variationes in Calendarium Generale Romanum inducere, ut mirabilis gratia Dei in Sanctis suis universo populo Ritus Romani decursu celebrationum liturgicarum anni circuli ditius eniteat. Animadvertendum tamen ex his novis celebrationibus inductis haud paucas indolem „universalem” eiusdem Calendarii amplificare.

Cum gradu memoriae ad libitum erunt ideo peragenda: die 3 ianuarii, Ss. Nominis Iesu; die 8 februarii, S. Iosephinae Bakhita, *virginis*; die 13 maii, Beatae Mariae Virginis de Fatima; die 21 maii, Ss. Christophori Magallanes, *presbyteri*, et sociorum, *martyrum*; die 22 maii, S. Ritae de Cascia, *religiosae*; die 9 iulii, Ss. Augustini Zhao Rong, *presbyteri*, et sociorum, *martyrum*; die 20 iulii, S. Apollinaris, *episcopi et martyris*; die 24 iulii, S. Sarbelii Makhūf, *presbyteri*; die 9 augusti, S. Teresiae Benedictae a Cruce, *virginis et martyris*; die 12 septembris, Ss. Nominis Beatae Virginis Mariae; die 25 novembris, S. Catharinae Alexandrinae, *virginis et martyris*.

Ob concursum insuper cum Festo Beatae Mariae Virginis de Guadalupe, Patronae totius Americae, a Summo Pontifice die 25 martii 1999 promulgato, transferenda erit memoria ad libitum S. Ioannae Franciscae de Chantal, *religiosae*, a die 12 decembris ad diem 12 augusti.

Quae variationes in posterum in libris liturgicis Ritus romani inscribendae erunt. Textus „typici” latine exarati unicuique celebrationi respondententes in adnexo huic Decreto additi, statim ac publici iuris fiunt, adhiberi possunt. Quoad libros liturgicos in linguis vernaculis cura Episcoporum editos attinet, translationes parentur ad nor-

mam Instructionis *Liturgiam authenticam*, quae, recognitione ex parte huius Congregationis concessa, in cunctis editionibus inserantur. Temporis ad translationes parandas causa, Conferentiae Episcoporum facultate gaudent statuendi pro fidelium bono pastoralis diem, a quo novae celebrationes in territorio eiusdem Conferentiae incipere possunt. Quod tempus autem ne ultra diem 1 ianuarii 2004 protrahatur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 18 decembris 2001.

Georgius A. Card. Medina Estévez
Praefectus

+ Franciscus Pius Tamburrino
Archiepiscopus a Secretis

ADDITIONES AD LITURGIAM HORARUM

Die 3 ianuarii

SANCTISSIMI NOMINIS IESU

Omnia de die, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Bernardíni Senénsis presbýteri

(*Sermo 49, art. 1: Opera Omnia, IV, 495ss.*)

Magnum fidei fundamentum Nomen Iesu

Hoc quidem est illud sanctíssimum Nomen quod tantum fuit ab antíquis pátribus desiderátum, tantis anxietátibus expectátum, tantis languóribus prolongátum, tantis suspíriis invocátum, tantis lácrimis postulátum, sed témpore grátiae misericórditer est donátum. Abscónde, quaeso, nomen poténtiae, non audiátur nomen vindíctae, teneátur nomen iustítiae. Da nobis nomen misericórdiae, sonet nomen Iesu in áuribus meis, quia tunc vere vox tua dulcis et fácies tua décora.

Magnum ígitur fídei fundaméntum nomen Iesu effíciens fílios Dei. Fides enim cathólicae religiónis consístit in notítia Iesu Christi et lúmíne, qui est lumen ánimae, óstium vitae, fundaméntum salutis aetérnae. Hanc si quis non habúerit aut relíquit, véluti sine lúmíne per ténebras noctis vadit et clausis óculis per discrímína praecipitánter incédit, et quantacúmque ratiónis eminéntia fúlgeat, ducem séquitur caecum, dum ad intelligénda secréta caeléstia próprium séquitur intelléctum, aut, fundaménto neglécto, constrúere nítitur domum, aut, óstium praetermísso, vult intráre per tectum.

Fundamentum igitur istud Iesus est, lumen et ostium, qui se viam monstraturus errantibus, fidei lumen exhibuit omnibus, per quam posset Deus ignotus requiri, quaesitus credi, creditus inveniri. Fundamentum hoc sustentat Ecclesiam in Iesu nomine fabricatam. Nomen Iesu est splendor praedicantium, eo quod lumine splendore, annuntiare et audire faciat verbum suum. Et unde putas in toto orbe tanta et tam subita atque fervens fidei lux, nisi de praedicatione Iesu? Nonne et huius nominis luce ac sapore Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? Quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen merito Apostolus dicit: „Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulatis”.

O igitur nomen gloriosum, o nomen gratiosum, o nomen amorosum et virtuosum! Per te crimina relaxantur, per te adversarii superantur, per te infirmi liberantur, per te patientes in adversitatibus roborantur et iucundantur! Tu credentium honor, tu praedicantium doctor, tu operantium roborator, tu deficientium sustentator. Igneo fervore et calore tuo desideria inardescunt, postulata suffragia impetrantur, inebriantur animae contemplantes atque per te glorificantur omnes in caelesti gloria triumphantes. Cum quibus, dulcissime Iesu, per hoc sanctissimum nomen tuum conregnare nos facias.

RESPONSORIUM

Cf. Ps 5, 12; 88, 16b-17a

R. Omnes qui sperant in te, Domine, latentur, in aeternum exsultent. Obumbrabis eis, et gloriabuntur in te, * Qui diligunt nomen tuum.

V. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die.
* Qui diligunt.

Oratio

Deus, qui salutem humani generis in Verbi tui incarnatione fundasti, da populis tuis misericordiam quam deposcunt, ut sciant omnes non esse, quam Unigeniti tui, nomen aliud invocandum. Qui tecum.

Ad Benedictus, ant. Dedit se, ut liberaret populum et acquireret sibi nomen aeternum.

Ad Magnificat, ant. Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Die 8 februarii

S. IOSEPHINAE BAKHITA, VIRGINIS

Pro Commemoratione

Nata est in regione *Darfur* Sudaniae prope vicum *Jebel Agilere* circa annum 1868. Adhuc puellula rapta et pluries in mercatibus servorum vendita, crudelem servitutem passa est. Demum liberata, Venetiis (*Venezia*) christiana et religiosa apud Filias Caritatis Canossianas facta est ac reliquam vitam in urbe *Schio* in agro Vicentino Italiae omnibus suppeditans degit, ubi mortem obiit anno 1947.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Augustíni episcopi

*(Sermo 53,1-6: Revue bénédictine 104, 1994, 21-24)**Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt*

Non recusétur certámen, si dilígitur praémium, et accendátur ánimus ad alacritátem óperis commendatióne mercédís. Quod vólumus, quod desiderámus, quod péti-mus, posterit; quod autem iubémur ut faciámus propter illud quod post erit, modo sit.

Ecce íncipe divína dicta recólere et ipsa evangélica praecépta vel múnera. „Beáti páuperes spírítu, quóniam ipsórum est regnum caelórum”. Póstea erit tuum regnum caelórum; modo esto pauper spírítu. Vis ut póstea regnum caelórum tuum sit? Vide modo tu ipse cuius sis. Esto pauper spírítu. Quaeris a me fortásse quid sit esse páu-
perem spírítu. Omnis inflátus non est pauper spírítu; ergo húmilis pauper est spírítu. Altum est regnum caelórum; sed, qui se humlíat, exaltábitur.

Atténde quod séquitur: „Beáti, ínquit, mites, quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram”. Iam vis possidére terram? Vide ne possideáris a terra. Possidébis mítis, possidebéris immítis. Nec cum audis praémium propósitum, ut possídeas terram, ex-téndas avarítiae sinum, qua vis possidére modo terram, exclúso etiam utcúmque vicíno tuo: non te ista fallat opínio. Tunc vere possidébis terram, quando inhaéseris ei qui fecit caelum et terram. Hoc enim est esse mitem, non resístere Deo tuo: ut in eo quod bene facis, ipse tibi pláceat, non tu tibi; in eo autem quod mala iuste páteris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est quia placébis ei, dísplicens tibi; displicébis enim ei, placens tibi.

Accédát et opus et munus: „Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur”. Saturári vis. Unde? Si caro saturitátem concupíscit, digésta saturitáte famem íterum patíeris. Et, qui bibit, ínquit, ex hac aqua, sítiét íterum. Medicaméntum quod ad vulnus pónitur, si sanáverit, iam non dolet; quod autem pónitur contra famem, hoc est esca, ita pónitur, ut ad módicum rélevet. Transácta saturitáte, redit fámes. Accédit quidem quotídie remédium saturitátis, sed non est sanátum vulnus infirmitátis. Esuriámus ergo sitiámusque iustítiam, ut ipsa iustítia saturémur, quam nunc esurímus et sitímus. Inde enim saturábimur, quod esurímus et sitímus. Intérior ergo noster esúriat et sítiat: habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, ínquit, panis qui de caelo descéndi. Habes panem esuriéntis; desídera et potum sitién-tis, quóniam apud te est fons vitae.

Atténde quod séquitur: „Beáti mundicórdes”, hoc est qui mundi corde sunt, „quóniam ipsi Deum vidébunt”. Hic est finis amóris nostri; finis quo perficiámur, non quo consumámur. Finítur cibus, finítur vestis: cibus, quia consúmitur edéndo; vestis, quia perfícitur texéndo. Et illud finítur, et illud; sed finis iste pértinet ad consumpti-
onem, ille ad perfectiónem. Quidquid ágimus, sed quidquid bene ágimus, quidquid ní-timur, quidquid laudabíliter aestuámus, quidquid inculpabíliter desiderámus, ad Dei
visiónem cum vénerit, plus non requirémus. Quid enim quaerat, cui adest Deus? aut

quid sufficiat ei, cui non sufficit Deus? Videre Deum volumus, videre Deum quaerimus, videre Deum inardescimus. Quis non? Sed vide quid dictum est: „Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt”. Hoc para, unde videas. Ut enim secundum carnem loquar, quid desideras ortum solis cum oculis lippis? Sani sint oculi, et erit lux illa gaudium; non sint oculi sani, erit lux illa tormentum. Non enim corde non mundo videre permittaris, quod non videtur nisi corde mundo. Repelleris, aufereris, non videbis.

RESPONSORIUM

Cf. Mt 11, 29-30; 11, 28

R. Tollite iugum meum super vos, dicit Dominus, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; * Iugum enim meum suave est et onus meum leve.

V. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. * Iugum.

Oratio

Deus, qui beatam Iosephinam a servitute aniecta ad dignitatem filiae tuae et Christi sponsae adduxisti, da nobis, quaesumus, eius exemplo, Dominum Iesum crucifixum constanti dilectione prosequi et in caritate ad misericordiam propensos perseverare. Per Dominum.

Die 13 maii

BEATAE MARIAE VIRGINIS DE FATIMA

De Communi B. Mariae Virginis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Ephraem Syri diaconi

(Sermo 3 de diversis: Opera omnia, III syr. et lat., Romae 1743, 607)

Quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur

María vero caelum pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos úteri límites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum.

In ipsa terminum habere iustorum ac prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud sidus prodiit, quo duce, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

Diversis María nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est ac fuerat ingressus; cum enim ingressus esset in úterum sine corpore, corpore indutus erupit.

Ipsa est mysticum illud caelum novum, in quo Rex regum tamquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quandam speciem et similitudinem prae se ferens.

Ipsa est vitis fructificans suavitatem odoris, cuius fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit, ut suam ab arbore similitudinem mutuaret.

Ipsa fons est de domo Domini egradiens, ex quo sitiéntibus fluxerunt aquae vivae, quas si quis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum.

Errat autem, dilectissimi, quisquis diei reparationis Mariae cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est, per eam renovata. Initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo, per eam vero pax illi et securitas restituta. Initio protoparéntum delicto in omnes homines mors pertransiit, nunc vero translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit, nunc Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae existit instrumentum.

Qui sedet super Cherubim, in modo mulieribus brachiis sustentatus; quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem Throni Dominationisque metuunt, puella fovet; cuius sedes in saeculum saeculi, in virgineis genibus insidet; cuius pedum scabellum terra est, eandem puerilibus premit vestigiis.

RESPONSORIUM

R. Saldum est cor Virginis: ad angeli nuntium concepit mysterium divinum; tum in casto ventre suo pulcherrimum suscepit ex filiis hominis * et benedicta in aeternum dedit nobis Deum factum hominem.

V. Sedes puri ventris statim templum fit Dei: ope verbi, intacta virgo Filium concepit * et benedicta.

Oratio

Deus, qui Genetricem Filii tui Matrem quoque nostram constituisti, concede nobis, ut, in paenitentia et oratione pro mundi salute perseverantes, in dies valeamus regnum Christi efficacius promovere. Per Dominum.

Die 21 maii

Ss. CHRISTOPHORI MAGALLANES, PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Natus est sanctus Christophorus in vico *San Rafaél Totatiche* in Mexico anno 1869. Persecutione erga catholicam Ecclesiam grassante, una cum viginti quattuor aliis presbyteris et christifidelibus laicis, quibus sociatur, variis e dicionibus Mexici variorumque aetatum in odium christiani nominis Christum Regem, sicut socii, confitens, martyrium subiit anno 1927.

De Communi plurimorum martyrum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Caesárii Arelaténsis epíscopi

*(Sermo 225, 1-2: CCL 104, 888-889)**Qui testimonium pro veritate dederit, Christi martyr erit*

Quótiens sollempnitátes mártýrum celebrámus, fratres caríssimi, cogitáre debémus sub ipso Rege nos militáre, sub quo et illi pugnáre vel víncere meruerunt: cogitáre debémus eódem baptísimo nos salvátos, quo et illi salvátí sunt; iisdem sacraméntis uti vel confirmári, quae illi merebántur accíperere; ipsíus Imperatóris signum in fronte portáre, cuius et illi felíciter portavérunt.

Et ídeo, quótiens natalícia sanctórum mártýrum cúpimus celebráre, debent in nobis beáti mártýres áliquid de suis virtútibus recognóscere, ut illos deléctet pro nobis Dei misericórdiam supplicáre. Omnis enim ánima díligit símilem sibi. Si ergo símilis símili sociátur, dissímilis longe disiúngitur. Ecce beátus peculiáris noster, cuius festivitátem cólere cum gáudio cúpimus, sóbrius fuit: quómodo ei coniúngi póterit ebriósus? Quam societátem habére póterit húmilis æum supérbo, benígnus cum invído, largus cum cúpido, cum iracúndo mansuétus? Beátus martyr sine dúbio castus fuit: quómodo ei adúlter póterit sociári? Et cum gloriósi mártýres, fratres caríssimi, paupéribus étiam própria etogáverint, quómodo cum illis amíci esse pócrunt, qui dirípiunt aliéna? Sancti mártýres studébant étiam inimícos díligere: quómodo cum illis partem habébunt, qui aliquótiens nec amícis volunt vicem dilectiúnis impéndere? Non ergo nos pígeat, fratres caríssimi, vel in quantum póssumus sanctos mártýres imitári, ut illórum méritis et oratiúnibus ab ómnibus peccátis mereámur absólvi.

Sed dicit áliquis. Et quis est qui possit sanctos mártýres imitári? Etsi non in ómnibus, in multis tamen rebus, Deo adiuvánte, et póssumus et debémus.

Non potes sustinére flammam? Potes vitáre luxúriam. Non potes toleráre úngulam lacerántem? Contémne avarítiam, iníqua negótia et lucra ímpia persuadéntem. Nam si te móllia vincunt, quómodo te dura non frangunt? Habet et pax mártýres suos: nam iracúndiam víncere, invídiam velut vipéream venénum respúere, supérbiam refutáre, ódium de corde repéllere, gulae appetítus supérfluos refrenáre, vinoléntiae non crédere, pars magna mártýrii est.

Et quotiescúmque vel ubicúmque causam iustam vidéris laboráre, si pro illa testimónium déderis, martyr eris. Et quia iustítia et véritas Christus est, ubicúmque aut iustítia aut véritas aut cástitas laboráverit, si quantum vires habes defenseráveris, mártýrum mercédem accípies. Et quia martyr latíne „testis” interpretátur, qui testimónium pro veritáte déderit, Christi sine dúbio, qui est véritas, martyr erit.

RESPONSORIUM

Phil 1, 21; Gal 6, 14

R. Mihi vívere Christus est et mori lucrum. * Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi.

V. Per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. * Mihi absit.

Oratio

Omnípotens aetérne Deus, qui beátos Christóphorum, presbýterum, et sócios Christo Regi usque ad martýrium fídeles effecísti, eórum intercessióne nobis concéde, ut, in verae fídei perseverántes confessióne amóris tui mandátis semper inhaerére valeámus. Per Dóminum.

Die 22 maii**S. RITAE DE CASSIA, RELIGIOSAE**

In Umbria floruit saeculo quintodecimo. Primum violento viro nupta, eius saevitias patienter toleravit eumque Deo conciliavit; dein, coniuge et filiis orbata, monasterium Ordinis Sancti Augustini utpote religiosa ingressa est, omnibus patientiae et compunctionis sublime praebens exemplum, ubi requievit ante annum 1457.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosa.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Tractátibus sancti Augustíni epíscopi in Ioánnem

(*Tractatus* 81, 4: CCL 36, 531-532)

Verba Christi in nobis manent

„Si manseritis in me—inquit—et verba mea in vobis manserint, quodcúmque volueritis petétis, et fiet vobis”. Manéndo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod cónvenit Christo? Quid velle possunt manéndo in Salvatóre, nisi quod non est aliénium a salúte? Aliud quippe vólumus, quia sumus in Christo, et aliud vólumus, quia sumus adhuc in hoc saéculo. De mansióne namque huius saéculi nobis aliquándo subrépit, ut hoc petámus quid nobis non expedíre nescímus. Sed absit ut fiat nobis, si manémus in Christo, qui non facit quando pétimus, nisi quod éxpedit nobis.

Manéntes ergo in eo, cum verba eius in nobis manent. Quodcúmque voluérimus petémus, et fiet nobis. Quia si pétimus et non fiet, non hoc pétimus quod habet mánsio in eo, nec quod habent verba eius quae manent in nobis, sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis, quae non est in eo et in qua non manent verba eius. Nam útique ad verba eius pértinet orátio illa quam dócuit, ubi dícimus: „Pater noster, qui es in caelis”. Ab huius oratiónis verbis et sénsibus non recedámus petitióne nostris, et quidquid petiérimus, fiet nobis.

Tunc enim dicénda sunt verba eius in nobis manére, quando fácimus quae praecepit, et dilígimus quae promísit; quando autem verba eius manent in memória, nec inveniúntur in vita, non computátur palmas in vite, quia vitam non átrahit ex radíce. Ad hanc differéntiam valet quoad scriptum est: Et memória retinéntibus mandáta eius, ut fáciant ea. Multi enim memória rétinent, ut contémnant, vel étiam derídeant et oppúgnent ea. In his verba Christi non manent, yui attíngunt quodámmo, non

cohaérent; et ídeo illis non erunt in benefícium, sed in testimónium. Et quia sic'insunt eis, ut non máneant in eis, ad hoc tenéntur ab eis, ut iudicéntur ex eis.

RESPONSORIUM

Cf. Sir 4,17a.c

R. Custódi pedem tuum ingrédies domum Dei, * Et appropínqua, ut áudias.

V. Mélior est oboediéntia, quam stultórum víctimae. * Et appropínqua.

Oratio

Largíre nobis, quaésumus, Dómine, sapiéntiam Crucis et fortitúdinem, quibus beatám Ritam ditáre dignátus es, ut, in tribulatióne cum Christo patíentes, pascháli eius mystério íntímus participáre valeámus. Per Dóminum.

Die 9 iulii

**Ss. AUGUSTINI ZHAO RONG, PRESBYTERI,
ET SOCIORUM, MARTYRUM**

Natus est Sanctus Augustinus in Sinis anno 1746 et, a militia imperatoris ad fidem perseverantia sanctorum martyrum conversus, sacerdos factus est atque ob confessionem et praedicationem Evangelii anno 1815 ipse martyr occubuit. Una cum eo commemorantur permulti socii martyres Ecclesiae Dei, qui, episcopi, presbyteri, religiosi ac religiosae necnon laici viri, mulieres, pueri, puellae et parvuli, variis in aetatibus et locis Sinarum Christi divitias verbo et opere inter angustias testati sunt.

De Communi martyrum: pro pluribus martyribus.

Ad Offcium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homília Ioánnis Pauli Papae Secúndi in canonizatióne beatórum mátyrum in Sinis

(AAS 92, 2000, 849-850)

Sanguis martyrum fidem christianam testificat

„Sanctífica eos in veritáte; sermo tuus véritas est”. Haec invocátio, quae vocem Christi precis sacerdotális ad Patrem in última Cena elevátae reddit, e sanctórum et beatórum ágmine ascéndere vidétur, quos Spíritus Sanctus per generatiónes in Ecclésia sua súscitat. Bismillénio post incéptum opus redemptiόνis, nobis hódie assúmimus hanc invocatióne, ante óculos habéntes exémpla sanctitátis Augustíni Zhao Rong eiúsque centum et undevigínti sociórum mátyrum in Sinis. Deus Pater, „eos sanctificávit in suo amóre”, oratióne exáudiens Fílii, qui ei „pópulum sanctum acquírens exténdit manus cum paterétur, ut mortem sólveret et resurrectióne manifestáret”.

Ecclésia Dómino grátias agit, quóniam eam benedícit et in eam lucem effúndit cum splendóre sanctitátis horum filiórtim et filiárum Sinénsium. Puélla Anna Wang, quattuórdecim annos nata, minis réstitit carníficis, qui eam adhortábat ut a Christi

fide deficeret, dicens, dum aequo ánimo ad cápitis amputatióem se parábat: „Caelórum porta ómnibus apérta est”, ac ter múrmurans Iesum invocávit; Xi Guizi, iúvenis duodevigínti annórum, iis, qui bráchium dextrum vix ei abscíderant atque, eo vivente, pellem detráhere moliebántur, impávidus acclamávit: „Unaquaeque pars carnis meae, unaquaeque stilla sánguinis mei in memóriam vestram revocábit, quia cristiánus sum”.

Eadem fortitúdine et laetítia álíi octogínta quinque Sinénses testimónium prae- buérunt, viri et muléres cuiúsvís aetátis et condiciónis, sacerdótes, religiósae et christifidéles láici, qui dono vitae indefectíbilem suam fidelitátem erga Christum et Ecclésiám confirmavérunt. Quod áccidit váriis in aetátibus et in angústis difficilibús- que tempóribus históriae Ecclésiiae in Sinis.

In hoc mártýrum ágmine etiam trigínta et tres missionárii ac missionárie resplén- dunt, qui, pátriam suam dereliquéntes, se in natúram rerum et mentem Sinénsium ínseri conáti sunt, particularitátes illárum pártium contéxtus magno cum amóre assuméntes, desidério capti Christum annuntiánde et huic pópulo serviénde. Eórum sepúlcrá eo adhuc manent, ut demónstrent se illíus esse pátriae próprios, quam sincéro corde, etiámsi humána infirmitáte, dilexérunt, in eam omnes vires suas impendéntes. „Némíni nocúimus”, respóndit epíscopus Francíscus Fogolla ad gubernatórem, qui próprio gládio ad eum percutiéndum se parábat, „e contrário multis profúimus”.

RESPONSORIUM

Mt 5, 44-45. 48

R. Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos, et oráte pro persecuéntibus et calumniántibus vos, * Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.

V. Estóte ergo perfécti, sicut et Pater vester caeléstis perféctus est. * Ut sitis.

Oratio

Deus, qui per sanctórum mártýrum Augustíni et sociórum confessiόem Ecclé- siasm tuam mirábili dispensatióne roborásti, ut pópulus tuus, missiόni sibi créditae fidélis, et increménta libertátis accípiat et veritátem coram mundo testificétur. Per Dóminum.

Die 20 iulii**S. APOLLINARIS, EPISCOPI ET MARTYRIS**

Investigabiles divitias Christi inter gentes propagans, secundo saeculo exeunte, ut videtur, Ecclesiam Classensem apud Ravennam in Flaminia episcopus duxisse et inclito martyrii honore decoravisse traditur. Die vero 23 iulii ad Dominum migravit.

De Communi unius martyris

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Petri Chrysólogi epíscopi

*(Sermo 128,1-3: CCL 24A, 789-791)**Ecce martyr regnat et vivit*

Beátus Apollináris Ecclésiám vernáculo atque ínclito martýrii honóre decorávit. Mérito Apollináris, quia iuxta mandátum Dei sui hic pérdidit ánimam suam, ut eam in vita conquíreret sempitérnam. Beátus qui ita cursum consumávit, fidem servávit, ut vere primus sibi credéntibus repperirétur in loco. Nec eum quisquam confessóris vocábulo minórem credat esse quam mártýrem, quem Dei nutu cotidiánum er múltiplicem revérsam cónspicit ad agónem. Audi Paulum dicéntem: „Cotídie móríor”. Semel mori parum est eum, qui potest regi suo gloriósam saepe de hóstibus reférre victóriam. Non tam mors quam fides et devótio mártýrem facir; et sicut virtútis est in acie, in conflictu, pro regis amóre succúbere, ita perféctae virtútis est diu ágere et consumáre certámina. Non ídeo perfúctum mártýrem, quia non statim íntulit mortem, sed probávit mártýrem, quia non elícuit fidem; eiécit tela quae pótuít, et ómnia armórum suórum génera cállidus éxpetit inimícus, nec tamen fortíssimi ductóris locum movére pótuít aut temeráre constántiam. Summum est, fratres, pro Dómino praeséntem vitam, si necesse sit, contémnere, sed gloriósum est etiam cum vita mundum suo témnere et conculcáre cum príncipe.

Festinábat Christus ad mártýrem, martyr suum festinábat ad regem. Bene díximus festinábat, iuxta illud prophétae: „Exúrge in occúrsum mihi, et vide”. Sed ut propugnatórem suum sibi Ecclésia sancta retinéret, Christo veheménte occúrrit, ut et vincénte iustítiae reserváret corónam et sibi belli témpore praeliatóris sui praeséntiazn condonáret. Fundébat saepe conféssor sánginezn suum suísque vulnéribus, fide mentis, suum testabátur auctórem. Caelum suspiciens carnem despiciébat et terram: Vicit tamen, ténuit, et a suo desidério retardári mártýrem ténera adhuc Ecclésiáe impetrávit infántia. Infántiam dico, quae totum semper óbtinet; quae plus lácritnis quam vírium ratióne conténdit. Neque enim tantum vultus et stzdor fórtium quantum possunt lácrimae parvulórum, quia ibi córpora, hic corda frangúntur; ibi mentis iudícia vix movéntur, hic tota píetas inclináta descéndit.

Et quid. plura? Egit, egit Ecclésia sancta mater, ut nusquazn a suo separarétur antístite. Ecce vivit, ecce ut bonus pastor suo médius assístit in grege, nec umquam separátur spírítu, qui córpore praecéssit ad tempus. Praecéssit, dico, hábitu; caétero ipsa inter nos córporis sui habitatióne rquíescit. Extíctus est diábolus, persecútor occúbuit; ecce regnat et vivit, qui pro rege suo desiderávit occídi.

RESPONSORIUM

2 Tim 4, 7-8; Ph 1, 21

R. Bonum certámen certavi, cursum consummávi, fidem servávit: * Nunc autem repósita est mihi coróna iustítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die iustus iudex.

V. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum * Nunc autem.

Oratio

Dírige fidéles tuos, Dómine, in viam salútis aetérnae, quam beátus Apollináris epíscopus doctrína et martýrio monstrávit, et fac nos, eódem intercedénte, sic in mandátis tuis perseveráre, ut cum ipso coronári mereámur. Per Dóminum.

Die 24 iulii**S. SARBELII MAKHLŪF, PRESBYTERI**

Natus est in vico *Biga' Kafra* in Libano anno 1828. Ordinem Libanensium Maronitarum ingressus, Sarbelii nomen accepit et, sacerdotio auctus, arctae solitudinis et altioris perfectionis studiosus, e coenobio Annaiae in eremum secessit, ubi summa vitae asperitate, continuis ieiuniis et obsecrationibus Deo servivit et die 24 decembris 1828 pie obdormivit in Domino.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religioso.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístolis sancti Ammónii eremítæ

(*Ep. 12: PO 10/6,1973, 603-607*)

Deo proximii, medici animarum constituti sunt

Dilectíssimi in Dómino, vos scitis, fácta praevaricatióne praecépti, ánimam non posse Deum cognóscere nisi seípsam ab homínibus et ómnibus occupatióibus elongáverit. Tunc enim videt adversárium suum, quantópere sibi resístat. Viso autem adversário suo securn colluctánte eóque devicto secum aliquándo conflictánte, dein Deus hábitat in ea et ex tristítia in gáudium et exultatióem transfórmatur. Quodsi autem in pugna superáta est, supervénit ei tristítia et tepor cum multis áliis rebus et moléstia génerum diversórum.

Huius causa Patres in erémo solitário modo vitam agébant, cum Elías Thesbítes, tum Ioáannes. Nolíte existimáre eos inter hómines iustos fuísse, eo quod inter hómines invénti sunt operántes ipsam iustítiam, sed prius in magno erant siléntio et hac ratióne accepérunt Dei virtútes, ut in eis hábitet, et tunc misit eos Deus inter hómines, postquam omnes virtútes assecúti erant, ut essent dispensatóres Dei et sanárent infirmitátes eórum. Médici erant enim animárum imbecillitátem eárum sanáre voléntes. Qua ígitur de causa e siléntio erépti ad hómines mittúntur, sed tunc demum mittúntur, quando omnes eórum infirmitátes sanátae erant. Fíeri enim nequit, ut ánima aedificatiónis causa ad hómines mittátur, dum áliquas imperfectiões hábeat. Qui autem ántequam perfectiõem consecúti sunt, proficiscúntur, próprio arbítrio véniunt, non vero Dei voluntáte, Deus autem de his, qui huiúsmodi sunt, eos vitúperans dicit: „Ego-ait-non misi eos et ipsi currébant”. Quaprópter ne ánimam quidem suam posunt serváre, eo minus ánimas aliéνας possunt aedificáre.

Qui vero a Deo mittuntur, non libenter elongantur a silentio. Sciunt enim se in silentio acquisiisse virtutem divinam. Attamen ne tales sint, qui Creatori non oboediant, proficiscuntur ad aedificationem spiritalem ipsum imitantes: quemadmodum Pater misit Filium suum verum de caelo, ut sanaret omnes morbos et infirmitates hominum. Scriptum est enim: „Hic dolores nostros tulit et infirmitates nostras portavit”. Quapropter omnes sancti, qui ad homines veniunt eos sanaturi, Creatorem imitantur in omnibus, quo nempe modo digni efficiantur adoptione filiorum Dei et, ut quemadmodum est Pater et Filius, ipsi quoque sint in saeculum saeculorum.

En, dilectissimi, ostendi vobis silentii virtutem, quomodo omni ex parte sanet et quomodo Deo acceptum sit. Quapropter scripsi vobis, ut fortes vos exhibeatis in illa re, cui operam datis, et sciatis ope silentii profecisse omnes sanctos et ideo virtutem divinam in eis habitasse et ideo mysteria caelestia eis indicasse et eius gratia totam vetustatem mundi huius profligasse. Et qui haec scripsit vobis, ope ipsius pervenit ad hanc mensuram.

Multi autem sunt hac aetate anachoretae, qui non possunt in silentio perseverare, quoniam non poterant vincere voluntatem suam. Et ideo assiduo inter homines habitant, qui nequeunt se ipsos contemnere et consuetudinem humani generis fugere et in pugna luctari. Propterea, relicto silentio, restant se cum propinquis suis consolantes toto vitae suae tempore. Et ideo non sunt dignati suavitate divina, nec eo ut in eis inhabitet virtus divina. Apparente enim eis virtute, invenit eos consolantes se saeculo tabernaculi huius et passionibus animae ac corporis, nec proinde potest descendere super eos; immo neque amor pecuniae et vana hominum gloria et omnes infirmitates animae et occupationes sinunt virtutem divinam descendere super eos.

Vos autem fortes vos exhibeatis in illa re, cui operam datis. Qui enim a silentio recedunt, non possunt superare passiones suas, nec possunt pugnare contra adversarium suum, cum sint passionibus suis subditi; vos autem et passiones superatis et virtus divina vobiscum sit.

RESPONSORIUM

Phil 3, 8, 10; Rom 6, 8

R. Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrificiam. * Ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis eius et communionem passionum illius.

V. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.
* Ad cognoscendum.

Oratio

Deus, qui sanctum Sarbelium, presbyterum, ad singularem pugnam eremi vocasti et omni genere pietatis imbuisti, concede nobis, quaesumus, ut, imitatores dominicae passionis effecti, regno eius mereamur esse consortes. Per Dominum.

Die 9 augusti**S. TERESIAE BENEDICTAE A CRUCE,
VIRGINIS ET MARTYRIS**

Nata est Breslaviae (*Wrocław, Breslau*) in Germania anno 1891 et, in iudaica religione nata et instituta, aliquot annos magnas inter aerumnas philosophiam egregie professa est. Vitam novam in Christo per baptismum suscepit et, Teresiae Benedictae a Cruce nomine accepto, inter Carmelitas Discalceatas Coloniae (Köln), ubi secessit, persecuta est. Tempore persecutionis, exsul in Nederlandia, in captivitatem trusa, anno 1942 in campum exitii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracoviam in Polonia deportata est et mortifero vapore enecata.

De Communi unius martyris, vel virginum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex opere „Sciéntia Crucis” sanctae Terésiae Benedíctae a Cruce virginis et martyris

(*Edith Steins Werke, I, Friburgi in Br.1983,15-16*)

Credentibus in Crucifixum porta vitae aperitur

Christus iugum legis suscepit, legem plene servans et pro lege ac per legem móriens. Qua de re liberávit eos, qui per eum vitam recíperere volunt. Sed recíperere non possunt, nisi vitam própriam offeréntes. „Nam quicumque baptizáti sunt in Christum Iesum, in mortem ipsíus baptizáti” sunt. In vitam eius immergúntur, ut membra córporis eius fiant et tamquam membra eius cum ipso pateréntur et moreréntur. Haec vita die glóriae abundántius véniet; sed iam nunc in carne degéntes ea participámus, si crédimus; si crédimus Christum pro nobis mórtuum esse, ut nobis vitam cónferat. Hac fide cum eo tamquam membra cum cápite únimur; haec fides nos pro fonte vitae eius áperit. Ideo fides quae est in Crucifíxo, fides scílicet viva amóre devóto coniúncta, pro nobis porta vitae et inítium glóriae ventúrae est; ídeo crux gloriátio nostra única est: „Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo”.

Qui Christum elégit, mundo mórtuus est et mundus illi. Stígmata Christi in córpoře suo portat, infírmius est et contémpus ab homínibus sed éadem causa valens est, qui virtus Dei in infirmitáte perfícitur. Hac cognitióne discípulus Iesu non tantum crucem sibi impósitam áccipit, sed etiam seípsum crucifícat: „Qui autem sunt Christi Iesu, carnem. crucifixerunt cum vítiis et concupiscéntiis”. Certámine duro contra natúram suam pugnavérunt, ut vita peccáti in eis moriátur et vitae Spíritus spátium detur. In hoc certámine summa fortitúdo postulátur. Crux autem non finis est; crux exaltátur, ut caelum osténdet. Non solum signum est, sed etiam armátúra Christi invícta: báculum pastóris, quo David divínus contra Góliath nefándum certat; quo Christus fórtiter ad portam caeli pulsat eámque áperit. Quae cum fiunt lux divína ea fundétur omnesque Crucifixum sequéntes adimplébit.

RESPONSORIUM

Gal 2, 19-20

R. Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.

* Qui diléxit me et tradidit seipsum pro me.

V. Quod autem vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei. * Qui diléxit me.

Oratio

Deus patrum nostrorum, qui beatam Teresiam Benedíctam, mártýrem, ad cognitióem Fílii tui crucifíxi eiúsque ad mortem perduxísti, ipsa intercedéntem concéde, ut omnes hómines Christum Salvatórem agnóscant et per eum ad perpétuam tui visióem advéniant. Qui tecum.

Die 12 septembris

SANCTISSIMI NOMINIS MARIAE

De commune B. Mariae Virginis, praeter sequentia

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homíliis in Láudibus Vírginis Matris sancti Bernárdi abbátis

(Hom. 2,17,1-33: SCh 390,1993,168-170)

In omnibus Mariam cogita et invoca

„Et nomen - inquit Evangelísta - Vírginis María”. Loquámur pauca et super hoc nómine, quod interpretátum „maris stella” dicitur, et Matri Vírgini valde conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur, quia, sicut sine sui corruptiÓne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui laesiÓne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádium suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa ergo est nóbilis illa stella ex Iacob orta, cuius rádium univérsum orbem illúminat, cuius splendor et praefúlget in supérnis et ínferos pénétrat, terras etiam perlústrans et calefáciens magis mentes quam córpora fovet virtútem, excóquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclára et exímia stella super hoc mare magnum et spatiósum necessarió subleváta, micans méritis, illústrans exémplicis.

O quisquis te intélligis in huius saéculi proflúvio magis inter procéllas et tempes-tátes fluctuáre quam per terram ambuláre, ne avértas óculos a fulgóre huius síderis, si non vis óbrui procéllis! Si insúrgant venti tentatiÓnum, si incúrras scópulos tribu-latiÓnum, réspice stellam, voca Mariám. Si iactáris supérbiae undis, si ambitiÓnis, si detractiÓnis, si aemulatiÓnis, réspice stellam, voca Mariám. Si iracúndia aut avarítia aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Mariám. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiae foeditáte confúsus, iudícii horróre pertérritus, bátrato incípias absorbéri tristítiae, desperatiÓnis abýsso, cógita Mariám.

In periculis, in angustis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde et, ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit: „Et nomen Virginis Maria”.

RESPONSORIUM

Cf. Sir 24, 27-28; Lc 1, 27

R. Doctrina enim mea super mel dulcis et hereditas mea super mel et favum. * Et nomen virginis Maria.

V. Memoria mea in generationes saeculorum. * Et nomen.

Oratio

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut cunctis gloriosum beatae Mariae Virginis nomen celebrantibus, misericordiae tuae beneficia ipsa procuret. Per Dominum.

Die 25 novembris

S. CATHARINAE ALEXANDRINAE, VIRGINIS ET MARTYRIS

Virginem fuisse Alexandrinam et martyrem narratur, ingenii acumine et sapientia non minus quam animi robore refertam. Eius corpus in celebri coenobio in monte Sinai pia colitur veneratione.

De Communi unius martyris, vel virginum, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Caesarii Arelatensis episcopi

(Sermo 159,1.3-6: CCL 104, 650.652-654)

Quomodo Christum sequi?

Durum videtur, fratres carissimi, et quasi grave esse iudicatur illud, quod Dominus in Evangelio imperavit, dicens: «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi». Sed non est durum, quod ille imperat, qui adiuvat ut fiat quod imperat.

Abneget se et tollat crucem suam et sequatur Christum. Et quo sequendus est Christus, nisi quo abiit? Novimus enim, quia surrexit, ascendit in caelum: illo sequendus est. Plane desperandum non est, quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Longe a nobis erat caelum, ante quam capud nostrum isset in caelum. Iam quare desperamus nos ibi futuros, si membra illius capitis simus? Ergo unde? Quia multis timoribus et doloribus laborattz in terra: sequamur Christum, ubi summa est felicitas, summa pax, perpetua securitas.

Sed qui Christum sequi desiderat, audiat apostolum dicentem: „Si quis dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare”. Sequi vis Christum? Esto humilis, ubi ille humilis fuit: noli humilitatem eius contempnere, si vis ad illius altitudinem pervenire.

Aspera quidem facta est via, quando homo peccavit; sed plana est, quando eam Christus resurgendo calcavit, et de angustissima semita stratam regalem fecit. Per istam viam duobus pedibus curritur, id est, humilitatis et caritatis. In hoc omnes delictat celsitudo: sed humilitas primus gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere. A primo gradu, id est, ab humilitate incipe, et ascendisti.

Et ideo Dominus et Salvator noster non solum dixit abneget seipsum sibi, sed addidit: tollat crucem suam, et sequatur me. Quid est, tollat crucem suam? Ferat quicquid molestum est: sic me sequatur. Cum cooperit me moribus et praeceptis meis sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit non solum derisores, sed etiam persecutores. Et hoc non solum de paganis, qui extra ecclesiam sunt, sed etiam ex illis, qui intus videntur esse corpore, sed foris sunt operum pravitate, et, cum de solo nomine christiano gloriantur, bonos tamen christianos iugiter persequuntur. Isti tales sic sunt in membris ecclesiae, quomodo mali humores in corpore. Tu ergo si Christum sequi desideras, crucem eius portare non differas: tolera malos, noli succumbere.

Unde, si volumus implere illud, quod Dominus dixit, si quis vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me, quod ait apostolus cum Dei adiutorio studeamus implere: ut habentes victum et vestitum, his contenti simus; ne forte, si plus quam oportet terrenam substantiam quaerentes volumus divites fieri, incidamus in temptationem et laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. De qua temptatione Dominus nos sub sua protectione liberare dignetur.

RESPONSORIUM

Cf. Ps 45, 15-16.5

R. Afferentur Regi virgines post eam, proxima eius. * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

V. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. * Afferentur tibi.

Oratio

Omnipotens sempiterna Deus, qui populo tuo beatam Catharinam virginem et invictam martyrem praestitisti, concede ut, eius intercessionem, fide et constantia roboreremur et pro Ecclesiae unitate operam tribuamus impense. Per Dominum.